Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO POLITICA
De
IUSTITIA ARMORUM ADVERSUS BARBAROS,

QUAM

Cum consensu Amplissimæ Facultatis Philos. in illustri ad Salam Academia,

SUB MODERAMINE

VIRI AMPLISSIMI

DN. JOHANNIS ARNDII BELLMANNI,

Eloqu. Prof. Regii,

ad Publicum Examen modestè defert

OLAVUS FRYKSÄLL

Werml.

Audit. Gustav. Majori ad d. ~~4.~~ 10 ~~Octo~~*bri*

Anni MDCCIX.

UPSALIÆ, typis WERNERIANIS.

Reverendissimo in CHRISTO
PATRI AC DOMINO,

D. TORSTANO RUDEEN,

Per Wermelandiam & Daliam Superintendenti gravissimo, longeque meritissimo Mæcenati maximo, submissâ animi veneratione ætatem suspiciendo.

Ως ἐν ἐπιςήμαις, ἐντεῦθεν κυδιανειρης
Ἐξ Ἀκαδημίας, σπȣδῆς φέρον ἄλλοι ἀμάλλας
Μȣσοπόλοι· κ̀ ἔγωγε ἐμάς μὲν τάςδε ἀπαρχὰς
Ἐς πόλιν ὑμετέραν ἀτελεῖς ἄγω. ἐλπόμενος δ' εὖ,
Εἰ πολυφεγγὴς δὰς Σέοθεν καλάγȣσα ἐμοίν' ᾖ,
Κάλλιμον ὃς φάος εἶ, Πάτερ Ἀιδεσιμώτατε πάτρας.
Τὼς τεὸν ȣρανίη λαμπὰς βίοτον περιλάμψει,
Καὶ τριγέρων πρὸς ὄλυμπον ἰὼν ἀεὶ ἀγλαὸς ἔσσῃ.

Reverendiſſimi Nominis
Tui

Cultor & Cliens devotiſſimus

E. FRYRSALL.

Pl. Reverendo Præclarissimoq; Domino,

MAG. SVENONI VIGELIO,

Pastori in Frysdalen laudatissimo, Præpositoque dignissimo, Promotori meo ad cineres usque pià mente prosequendo.

PRo grege qui Christi vigilas, Præclare VIGELI,
Barbara quo feritas sit removenda procul;
Nonnisi placatos sustollas luminis orbes
In vigiles Musas, excubiasve meas.
Queis, ut mansvetis, defendo minantia pœnas
Martia Christicolum gentibus arma feris.
Nam quamvis tuear tam turpes, quasque relegas;
Est tamē hic nobis aspera pugna minus.
Excipias igitur factum hoc pro tot benefactis,
Atque ut cœpisti, perge favere Tuo

Præclar. Dn. Præposite,

observantissimo cultori

E. F.

Reverendo atque Doctissimo Domino,

DN. SVENONI RUDEEN,

Scholarum trivialium, quæ Carolstadii vigent, Collegæ vigilantissimo, Fautori & Amico exoptatissimo.

Corde colende pio semper mihi, Candide Fautor,
Wermdiacæ terræ, deliciumq; meum,
Injustis exscribo tuum nunc nomen in armis;
(Quæ spoliant gentes jure, domoque suâ)
Nec temere. me quippe, tuo qui totus in ære
Sum, vel sic decuit, ne officiperda forem.

Tibi

Rev. & Doctissime Domine,

omni officiorum genere obstrictissimus

El. Fr.


Wällachtad Man
OLOF KNUTSON/
Min Högtärade k. Fader/

SÅ får/ med Guds hielp/ nu Ehr myckne möda winna
Den hugnad/ som J förr/ än jag i lindan låg/
Högt önskat; när af mig der til ett prof J finna/
Fast ringa/ men ei tänckt förrän iag wårt Carlstad såg.
Gud/ som alt lagar wähl/ fullbordar/ hwad än felar
Til det Ehr tancka mäst sin fägnad syftar på;
Då iag får bättre prof/ om ödet oß ei delar/
Framwissa af det wett/ iag kan ock kunnat nå:
När af min ömhet ock lydno bäst kan dömas
Om all Ehr trägna flijt uti wår liufwa bygd;
Och Wermeland ei meer af skogar skal berömmas/
Än deß gemena folk för ei gemener dygd.

Min Högtärade k. Fader/
Eder

Lydigste Son

EL. FRYKSÄLL.



A. Ω.

Cap. I.

De Socialitate Gentium.

§. I. Ostenditur unitas generis humani.

§. II. Humanum genus in varios cœtus transfiguratur.

§. III. Idem rursus per consociationem sub divino imperio conjunctum adumbratur.

§. IV. Gentes æqualitate juris gaudere, demonstratur.


§. V. Servitus naturalis negatur.

§. VI. Status gentium naturâ pacificus monstratur.

§. VII. Oritur bellum, æmulatione, ambitione, & avaritiâ quietem humani generis turbantibus; maxime inter eos, qui moribus, institutis, & religione discrepant.

A §. I.

§. I.



Uum in mundum introduceretur, cui ſublunarium rerum poſſeſſio cederet, humanum genus, *ἐποίησεν ὁ θεὸς*, (ut verbis utar *τȣ̃ σκέυȣς ἐκλογῆς*, Apoſtoli Pauli) *ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς a)*. Unde factum est, ut ex naturæ quadam ſimilitudine, communique ſtirpe, & ſorte, homines inter, ceu dominos terræ, haud vulgaris reſultaret *φιλανθρωπία*, eosque blando amoris affectu inter ſe conciliaret. Id quod eleganter non minus, quam verè diſſeruit Philoſophorum princeps, his verbis: *ἐπεὶ τὸ κατὰ φύσιν ἡδὺ, τὰ συγγενῆ δὲ κατὰ φύσιν ἀλλήλοις ἐςὶν, ἅπαντα τὰ συγγενῆ καὶ ὅμοια ἡδέα, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οἷον ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ. b)* Inſtruxit in ſuper homines æque omnes ſocial

vita

vitæ aptiſſimis facultatibus, & ut ore Clementis Alexandrini loquar: *Φύσει κοινωνικοὺς, καὶ δικαίους ὁ Θεὸς ἡμᾶς ἐδημιούργησεν.* c) Rationis enim lumen, virtutum ſemina, legemque pacifico ſtatui congruentem ſingulis mentibus hominum impreſſit; nec non conceſſit ſermonem, *ὅς ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐστὶ τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερὸν, ὥστε καὶ τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον.* d) Ac plane omnia corporis membra ſocietati colendæ, & mutuis officiis præſtandis maximè idonea efformavit, atque deſtinavit. adeo ut communium harum, aliarumque rerum intuitu, naturam eſſe ſocialem inter homines collegerim, atque hujus generis, per totum orbem diffuſi, æqualitatem, unitatem perpetuam, pacemq; & amicitiam univerſalem, ac naturalem, cum ſanioribus recte concluſerim. Cujus conjunctionis ut ſupremus ille rerum arbiter auctor, ſtatorque est; ita propter vinculum, quo mortales

 conſocia-

consociavit, non male huc aptes illud, quod alioqui de corpore Christi mystico gentium Apostolus pronunciavit: *ἐξ ϐ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογϐμενον καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας, κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάςϐ μέρϐς τὴν αὔξησιν τϐ σώματος ποιεῖται, εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτϐ ἐν ἀγάπῃ.* e)

a) *Act.* 17. *v.* 26. *b*) *Arist. Rhetor. l.* 1. *c.* 2. *c*) *lib.* 1. *Strom. fol.* 286. *cit. Zentg. d*) *Arist.* 1. *Pol.* 2. *e*) *Eph.* 4. *v.* 16.

§. II.

Ceterum, licet hanc ob causam primævus familiarum status naturâ pacificus fuerit: tamen propter multum, quo ille laborabat, imperfectionis, non externa amplissimi hujus corporis uniformis facies diu stare potuit. Namque paulatim *magna simplicitate* h. e. *ἀφϑαρσίᾳ, & eximia in alios caritate*, blandioris puta amicitiæ sensu, exolescente, metus exsistere cœpit; si

mul

multiplicato genere humano, cum ob occurſum circa eaſdem res occupandas, tum per quorundam eſfrenem augendæ rei familiaris aut potentiæ libidinem, & πανεργίαν, exanimo, aut affectibus præpedito, aut boni malique mixtione confuſo propullulantem, rixæ, inimicitiæ, & injuriæ exortæ fuerunt. Quibus ſedandis & refrænandis, quia ſola lex naturæ, quantumvis in ſe perfecta, haud ſuffecerat: non potuere non homines in varios coaleſcere cœtus, ſe ſuaſque vires conjungere, de magiſtratibus conſentire, & ad naturalem libertatem contra quoſvis iniquè injurios defendendam conſpirare. Unde intelligimus; & obiter obſervamus ex illo conſenſu nullum unquam hominem fuiſſe totius mundi dominum; nec non diſcimus fines regnorum & *proprietates* gentium *aut pacto quodam expreſſo, ut per diviſionem, aut tacito, ut per occupationem fuiſſe introductas.*

ductas. *f*) Huic vero principali civitatis constituendæ causæ, *g*) si etiam addideris illud (ut plane hic omittamus suspicionem Pufendorfii de primis coloniis *h*) quod homines, utpote *ζῶα πολιτικά*, sive naturâ ad civilem societatem apti, adeo ut non tantum ea, quibus indigerent, *ope mutua facilius consequerentur*, *i*) sed *cognitione etiam rerum divinarum, humanarumque*, & quarumvis artium peritia eò melius perficerentur, *virtutibusque operarentur*, illum statum appetiverint: videbis certè civitates esse constitutas, ut homines protecti, & *sanctis rectisque legibus gubernati bene beateque viverent. k*)

f) *Grot. de J. Bell. & P. l.* 2. *c.* 2. §. 2. *g*) *Puf. de J. Nat. & G. lib.* 7. *c.* 1. §. 7. *h*) *Introduct. ad hist. cap.* 1. §. 2. *i*) *Reinhard.* König *Theatr. pol. trip. part.* 1. *c.* 2. §. 13. *k*) *Chrysost. Javell. Can. lib.* 1. *in Pol. Ar. cap.* 1.

§. III

§. III.

Iſta vero diviſio eò minus tollit unitatem humani generis, ejusque conjunctionem naturalem, quò magis illa vim ſuam per particulares iſtos cœtus, eos etiam in unum corpus cogendo, exſerit. Quanquam enim civitatum, à ſe invicem diſtinctarum, unaquæque ſuam ſalutem procurat, & proprium conſervare ſtatum ſatagit: non tamen amittitur plane ſocialitatis natura, naturalisque legis obligatio, quin hæc, ceu æternum ſocietatis vinculum, omnibus & ſingulis membris firmiter infixum, illas, ne perpetuis involutæ præliis ſe ipſæ invicem conficiant, in univerſalem ſocietatem ſub divino cogat imperio. *Vim enim & effectum ſortitur iſthæc obligatio ex ipſa ratione rerumq: & communis gentium ſecuritatis, cujus utique ſtator cenſetur ac vindex, Deus Opt. Max. l*) ut verba ſunt Celeb. Prof. Lundii, viri de hoc Athenæo & patria

& patriâ ſimul præclarè meriti, Patroni mei ſummi. Hinc igitur omnis gens moratior ſuam voluntatem & ſententiam gubernatori rerum omnium, atque omnis violati juris vindici graviſſimo ſubjicit; quemadmodum boni cives legi civitatis. uti loquitur etiam Epictetus: ὁ καλὸς, καὶ ἀγαθὸς, τὴν ἀυτȣ̃ γνώμην ὑποτέταχε τῷ διοικȣ̃ντι τὰ ὅλα· καθάπερ ὁι ἀγαθοὶ πολῖται τῷ νόμῳ τῆς πόλεως. *m*) Sumus etiam cives, quamdiu communitas manet, mutuis complexibus unum corpus efficientes, ſecundum illud Antonii Imperatoris: ἐι ὁ λόγος ἡμῖν κοινός, καὶ ὁ νόμος κοινός· ἐι τȣ̃το, πολῖται ἐσμεν· ἐι τȣ̃το, πολιτέυματος τινὸς μετέχομεν· ἐι τȣ̃το, ὁ κόσμος ὡσανεὶ πόλις ἐςι. *n*) Cujus rei ut omnes conſcii, cujuscunque ſunt demum religionis; ita injuriam paſſi ſemper ingeminant illud Homeri. *o*) Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. vel potius Heſiodi: *p*)

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα
νοήσας,

Και

Καὶ νυ τάδ', αἴκ' ἐθέλῃσ', ἐπιδέρκεται· ὐδέ ἑ λήθει

Ο'ίην δὴ ϗ τήνδε δίκην πόλις ἐντὸς ἐέργει.

l) *Zamolxis c.* 9. §. 8. *m*) *vid. Zentgrav. de juſt. & jur. ſect.* 1. *art.* 1. *ſubſ.* 1. § 7. *n*) *Idem de J. G. orig. art.* 1. §. 31. *cit. l.* 4. 24. *o*) *Batrac.* 1. *v.* 69. *p*) *Opera & dies v.* 265. *&c.*

§. IV.

Hinc liquido conſtat, qualis ſit ſtatus gentium, & quæ jura illum conſequantur; ſcilicet ut ſocialitas remanet, ita & inter eas æqualitas, quæ uniuscujusque mutui officii menſura eſt. Namque gentes, quatenus altera alteri ſubjecta non est, nec dum jus aliquod, intercedente pacto, uni in alteram acquiſitum, gaudent æquali jure & libertate; ita ut ex ſuo arbitrio & judicio, ſine injuria tamen alterius, ſui conſervationi & incrementis velificari, & quæ ad formam ſuæ reipublicæ pertineant, agere, diſponere, & libere

bere res quasvis ſuas adminiſtrare poſſint. Nimirum *mortales in diverſas gentes coadunati mox plena uſi ſunt libertate, facti, exſtincto Noacho, ſibi invicem pares, ſolo Deo inferiores.* q) Atque exinde prono alveo fluit hæc prima gentium obligatio, ut eadem invicem præſtent officia quæ ab aliis exſpectant, nihil ſibimet ipſis, vel propter intellectus perfectionem, vel vitæ integritatem, auctoritatis in alteram vindicantes. Adeoque hanc *αὐτοκράτειαν ἐπὶ παντὶ* non potentia & vires diſpares, r) vel conceſſio s) dignitatis cujusdam aut prærogativæ, ſed ſingulare pactum & ultronea ſubjectio imminuunt.

q) *Zentgr. de J. G. orig. art. II.* §. 45.
r) *Art.* 3. §. 10. s) §. *II. & Art. X.* §. 19. & 20.

§. V.

Ergo ut hanc juris æqualitatem differentia, quæ eſt inter incultiores & moratiores gentes, quodq; diſcrepan-

discrepantiæ inter hebetiores & ingenio perspicaciores intercedit homines, non tollit : ita sententiam Aristotelis ut *humano generi periculosam*, *t*) plane explodendam & rejiciendam cum Pufendorfio. *u*) ceterisque judicamus. Etsi enim Zentgravius, sequutus forte Franciscum a Victoria, testatur, *x*) quod licet Aristoteles natura dari servos dixerit, de serviendi tamen aptitudine & servili ingenio, non de eo, quod jus naturæ sanciat, Philosophum loqui, dudum alii monuerint: hujus tamen ἀλλογραφίον probatur non solum ex dicto Poëtarum ab ipso adducto & probato : διὸ φάσιν οἱ ποιηταὶ, βαρβάρων δ᾽ ἕλληνας ἄρχειν εἰκός. ὡς ταυτὸ φύσει βάρβαρον, καὶ δοῦλον. *y*) verum etiam verbis antecedentibus clare ostendisse mentem suam circa jus ipsum, mihi quidem videtur : τὸ μὲν γὰρ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν, ἄρχον φύσει, καὶ δεσπόζον φύσει· τὸ δὲ δυνάμενον τῷ σώ-

ματι

ματι ταῦτα ποιεῖν, ἀρχόμενον καὶ φύσει δοῦλον. z) Nam quod mentis agitatione providere potest, imperandi jus habet naturâ, & dominatur naturâ: quod autem potest corpore imperata facere, id imperio alterius parere, & servire debet naturâ. Verum, brevitati nunc litans, istam servitutem infra, ubi de causis belli agendum erit, pluribus fortasse excutiam; sufficit in antecessum hoc duntaxat libertati naturali subjunxisse, non ob genium servituti aptum, vi, vel sine consensu, in isto statu aliquem collocari debere. *a)*

t) Ad. Contz. 10. *c.* 8. §. 2. *u) De J. Nat. & G. l.* 3. *c.* 2. §. 8. *x) De orig. Jur. G. Art.* 6. §. 6. *& Fr. Vic. rel.* 5. *Sect.* 1. *ad finem. y)* 1. *Pol. c.* 1. *z) eod. cap. a) vid. Puf. supra cit. loc.*

§. VI.

Quoniam hactenus vidimus integros cœtus, æque ac homines singillatim spectatos, sociales esse, atque æquales; sequitur nunc pro ratione

ratione instituti, ut paucis originem belli discutiamus, & qualis, relate ad alios, uti ajunt, status gentium sit. Nobis autem in eo occupatis, quo planior via pateat, ante omnia Hobbii periculosa sententia removenda est. Hic enim cum statuerit, in *statu naturali jus omnium esse in omnes, & unicuique licere quæcunque & in quoscunque voluerit b)*; non potuit etiam non affirmare, *bellum sua naturâ esse sempiternum. c)* Cujus è regione nos positi, sicuti fundamento longe præstantiori systema hujus universitatis innixum, idque vinculo quodam justitiæ universalis, ad nemini lædendum, sed suum cuique tribuendum, æqualiter constrictum novimus; ita non alium gentium naturâ statum, quam *æternam pacem d)* esse, & propter cognationem, communemque earum salutem, atque æqualitatem, tale inter illas commercium pacis intercedere de-

re debere, quo etiam remotissimæ ab omni in perpetuum injuriâ liberæ sint, & nisi ipsæ contrario facto amicitiam dissuerint, amice tractentur, omnino contendimus. Hoc autem commercio per injurias alicujus soluto, non statim vinculum pacis sublatum, nec vim vi repellere est illegitimum: sed tunc illud Æmilii Probi (sive cujus demum cunque est) *Pax paritur bello*, *e*) locum obtinere, sanis dudum & eruditis sese probavit.

b) *Hob. de Cive. lib.* 1. §. 10. *&* 12. *c*) *ibid.* §. 13. *d*) *vid. Zentgr. de or. J. G. Art.* 3. §. 18. *e*) *vulgo Corn. Nep. in vit. Epam. c.* 5.

§. VII.

Status itaque subsidiarius bellum est, *f*) quo armis, quod jure non potest, transigatur, & id, quod cuilibet debetur parti in vita sociali, obtineatur. Quam ob causam non minus, quam ceterorum Imperatorum, illud Antonini Bassiani

Cara-

Caracallæ ſymbolum æſtimandum est: *omnis in ferro ſalus. g)* Quum vero hic belli finis ſit, ſatis apparet, neque eo tempore omne humanitatis exercitium quieſcere, ſed ſecundum regulam, paritati omnium æqualiter conſulentem, cuncta peragi debere. Et quo melius illud vigeat, *quanquam præcepta naturalia ante omne fœdus obligare recte cenſeantur, neque per id obligatio ad pacem univerſalem reddatur arctior: h)* tamen pactis illud inſuper roborari & dirigi cautis placuit, & perverſorum injurias expertis hominibus. Unde jus, quod vocant, Gentium, propullulat, & fidem publicam, vel tacite vel expreſſe datam, contra immanitatem, & pacis recuperandæ obſtacula, ubique terrarum urget. Interim verò tantò minus quisquam inficias iverit, quin gentes quædam, tanquam rationis recto uſu deſtitutæ; æquam & almam pacem injuſtis ſæpe bellis,

lis, deprædationibus & latrociniis dissolverint; cum etiam necessum habuerit vir illustris de Pufendorf conqueri, hodienum ambitionem & avaritiam eo usque validis stimulis mortalium animos subigere, *ut ne mansvetissima quidem doctrina Christi inter Christianos insidias, bella, atque oppressiones exstingvere queat. i)* Cujus rei causas, præter dictam alienis imminentem cupidinem, cum ex habituum externorum, & pro temperamento cœli, soli, & cibi, ingeniorum diversitate; tum maximè morum, institutorum, & religionis varietate invicem exortum contemtum; nec non, procedente tempore, multis cladibus & mutuis auctum damnis naturale velut odium constituimus. In quas, justæ-ne an injustæ fuerint, lumina mentis intensurus, quale gentium circa mores & religionem discrimen sit, primò inquirendum proposui.

f) Zentgr.

f) Zentgr. de orig. J. G. Art. 3. §. 17. *g) Kromay. hist. eccl. centur:* 3. *h) Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. lib.* 2. *c.* 2. §. 11. *i) Idem lib. & cap. cit.* §. 12.

CAP. II.

De Discrimine Gentium.

§. *I. Gentes distinguuntur in barbaras & moratiores, in Gentiles & Christianas, atque verè Christianas & hæreticas.*

§. *II. Quænam Christianæ & moratæ sint, monstratur.*

§. *III. Voces gentis & hæretici expenduntur.*

§. *IV. Vox barbari.*

§. *V. Barbaries certis notis ab humanitate disjungitur.*

§. *VI. Quænam sint barbaræ gentes.*

§. *VII. Causæ barbariei adferuntur.*

§. *VIII. Omnes sibi ipsis in suo errore placere, idque esse impedimentum inducendæ cultiori vitæ, monstratar.*

§. *IX. Notiones de Deo communes & necessariæ, ut fundamentum fidei omnis & juris jurandi, ostenduntur.*

§. I.

§. I.

NOn attinet hîc gentes, quatenus vel potentiores ſunt, vel infirmiores, diſcernere; cum omnibus primâ fronte perſpicuum ſit, id diſcriminis nullius imperio jus quoddam tribuere. Igitur ad illud, ex quo acriores exſiſtentes ſententias, Philoſophorum alter alterius inſtantius propellere & ſiſtere cœperunt, approperо. & ſi gentes pro gemino officiorum fonte duplici modo conſideravero, haud fruſtra me ominor facturum. Namque, quatenus vitam civitatemque ſuam bonis moribus, honeſtisque diſciplinis ac literis, ex præſcripto voluntatis divinæ jure naturali ſaltim manifeſtatæ, vel inſtituunt, vel minus; moratæ, aut barbaræ dici ſueverunt: quatenus autem doctrinam cœlitus revelatam amplexæ ſunt, vel ſecus; in populum DEI, ut audiebant olim Iſraëlitæ, ſeu post orbem redemtum in Chriſtianos, & gentiles recte dividi

vidi, adſeritur. Illud verò dictum volo; non in univerſum Chriſtiani nunc nominis participes pro moratioribus haberi, nec omnes, quotquot fuerunt gentiles, barbarorum nomen fuiſſe meritas. Rurſus Chriſtiani, quà religionem, non ejusdem ſunt ordinis & dignationis, ſed præter veros, ſub iſtius ſanctiſſimi nominis Chriſti umbone latitant, hæretici, *veritati divinitus revelatæ contrarii, & ſalutis fundamentum evertentes; k)* ideoque ceteris peregrinis non multo meliores.

k) J. And. Quenſted. Syſt. Theol. part. 1. de Theol. in gen. Theſi 2. not. 11.

§. II.

Hoc equidem ipſa indoles vocum quemque docet; quam, licet omnibus notam, tamen in re præſenti, ne quis me mancum appellet, ſumſi mihi breviter explicandam. Ut igitur Chriſto nomen debet Chriſtianus, ita nec plures, nec

pauciores isto includuntur nomine, quam qui in sanctissimo Triuni nomine baptizantur, Christumque humani generis servatorem confitentur. Ut eo modo, præter gentiles sive Paganos, etiam Judæos & Turcas; non vero Moscos, Græcæve ecclesiæ addictos, quantumvis maximâ ex parte barbaros, cum ceteris hæreticis, exclusos reputemus. Sic fere de morato: ita enim ex moribus, de quibus docti agunt non prout deprehenduntur, sed prout esse debent in vitâ humanâ æstimatio fit & appellatio. Unde gentes, quæ cultioris vitæ usu humanitate puta, æquitate, mentisque culturâ florent, h. e. sociali naturæ congruenter vivunt (scilicet in quantum fert humana infirmitas *neminem enim natura mortalium ta conditis moribus finxit, in quo non a quid desideres, velut ultimam artifi manum m)* illæ moratarum, v plerumque à Philosophis, in cor

par

parationis gradu, moratiorum titulo insignitæ leguntur. Græcos igitur antiquos & Romanos, (ut Chaldæos & Ægyptios, quasi nescius vitæ eorum, subticeam) gentiles quidem recte, barbaros non item dixeris; nisi fortè, comparatione quadam religionum eos ita deprimente, illos barbaros, ceterosque barbariores quis appellaverit. Videlicet Græcia, quanquam hodierno tempore subsidens ejus industria variâ non solum superstitionis caligine, sed & barbarie Turcicâ, velut nube quadam obducta est, *ut nulli ipsis dolentius ad majorum memoriam suspirent, à quorum ingeniis exciderant*: *n*) tamen iis quondam moribus enituisse, eâque omnigenæ doctrinæ, scientiarum & artium culturâ splenduisse fertur, ut omnis olim humanitatis cultu exornatam fuisse putes. Quò facit illud Poëtæ: *o*)

Primæ frugiferos fœtus mortalibus ægris

Dididerunt

Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ:
Et recreaverunt vitam, legesque rogarunt:
Et primæ dederunt ſolatia dulcia vitæ.

Romæ etiam ſub Auguſto compoſitæ ſi florentem ſtatum ſpectes, ſcientiam, eloquentiam, Poëtarum ſuavitatem, & ſapientiæ ſpecimina cuncta, quæ prodidit; viroſve, quos in deliciis habuit, eruditiſſimos: dices fortean cum Barclaio: ſecutas ætates ſæpe de antiquâ venuſtate excidiſſe, & mores quoque interdum ad barbariem, ſi non illam feram, tamen quæ obtuſa ingenia ſpiſſaret. *p*)

m) *Barclai. Icon. anim. c.* 2. *n*) *& p*) *ibid.* *o*) *T Lucretius Carus de rerum natura lib. VI. v.* 1. 2. 3. 4.

§. III.

Gentiles, pro numine rerum inanium ac ſimulacrorum cultores, a *gens* dicti ſunt; quod tamen vocabulum

cabulum ſæpius Eccleſiaſticis tantundem valet; etſi proprie est populus ſui & ab aliis diſcreti generis, à genus, (quod à gignere est,) derivatum. Ubi obiter notandum, omnes homines recte genus humanum nuncupatos, quod ad unum hominem ſua cujusque geniti refertur origo. Gentis igitur hæc & gentilis notio eccleſiæ Judaicæ videtur accepta referenda, quæ ipſa unius tantum nationis ſeu gentis, cum ſola verum Deum coluerit, omnes vero ceteræ falſos; non potuerat non omnes paganos atque ethnicos propter multitudinem gentes nominare. Hebræis enim & Judæis גוים *gentes*, & גוי ſingulariter, iisdem uſurpatur ſignificationibus atque *gens* apud Latinos. Rurſus hæretici audiunt, qui ſectam aliquam à verâ religione alienam instituunt aut ſectantur, quaſi non recto judicio electionem fecerint: *αἱρέω* enim, *eligo*, radix est, & inde

de *ἅιρεσις electio.* Αἱρέσεως autem dictionem Budæus probat apud veteres non ita odiosam fuisse, variis locis citatis, ut nunc apud Christianos: *quibus cum summa competat concordia, utpote ejusdem corporis membris, jure optimo invisum est hæreseos seu sectæ vocabulum, divisionem sonans q)* Hos si recenserem & fusius describerem, nihil aliud facerem. quam γλαῦκας ἐις Ἀθήνας. Satis ergo sit, hæc ob varias pro varietate gentium circa bella sacra suborτas quæstiones indigitasse.

q) vid. Lex. Græcol. ἅιρεσις.

§. IV.

Hic autem barbari examinandi plus mihi facessunt negotii; quippe quorum inprimis incerta appellationis ratio est. Quatuor complectitur Cicero notiones his verbis: *neque tam barbari lingvâ & nation illi, quam tu naturâ & moribus. r)* Unde in diversas abierunt Etymologici sententias, deducentes ali

vocabulun

vocabulum à *βαρβαρ*, abſonâ voce, in quam peregrini homines Athenis, cum primum Græcè loqui conarentur, ſæpius inciderint: qui ſunt, quos ego vidi, Budæus *s*) & quem auctorem ei fuiſſe ſuſpicor, Strabo, pluribus hanc ſententiam perſecutus. *t*) Quibus quoque addi meretur Epops apud Ariſtophanem, qui ait, aves antequam eas loqui docuiſſet, barbaras fuiſſe; teſte Suidâ, qui barbaros exponit: *μὴ εἰδότας ἄλλων ἀνθρώπων φωνήν. Βαρβαρισμὸς δὲ ἐκ τῶν κακιῶν λέξις ἐςὶ παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκιμȣ́ντων ἑλλήνων.* *u*) Aliis Barbaricæ religionis nomen est, ut Epiphanio, illud ex Epiſtola Pauli colligenti, & quatvor ſectas conſtituenti, Ἰȣδαισμὸν, *ἑλληνισμὸν*, *Σκυθισμὸν*, & *βαρβαρισμὸν*. Verba Apoſtoli hæc ſunt: *w*) *ὅπȣ ȣ̓κ ἔνι ἕλλην κ̀ Ἰȣδαῖος· περιτομὴ κ̀ ἀκροβυςία· βάρβαρος, Σκύθης· δȣ͂λος, ἐλεύθερος.* Alii ut Voſſius *x*) & Janus Coldingius *y*) *barbari* ab Arabico

bico *Bar*, *deſertum*, vel more Ebræorum *barbar*, *valde deſertum*, computarunt natales. Vel denique à Chaldæo בר *extra*, *foris*, cui ſimile est ברא, ſilva ſive ager incultus, derivatam opinantur. Quæ ſententia, quoniam inter eruditos conſtat, z) culturam morum & literarum in iisdem terris primum viguiſſe, & inde ad Ægyptum ac Græciam inter alia commercia olim perveniſſe; haud à vero abludit. Significat itaq; *Barbarus* in ſuo ſenſu & uſu extraneum non tantum, ſed & peregrinum, propter indecoram vitam inviſum, ſive ab humanitate alienum. Cur barbariæ nomen totius Africæ maritimo tractui, ab Ægypto ad fretum Herculeum excurrenti, inditum ſit, *ἵνα μὴ κινῶ* ut dicere ſolent, *χορδὰς τὰς ἀκινήτες*, jam quærere ſuperſedeo.

r) in Verr. l. 4. c. 51. s) Lex. Græcol. t) lib. 14. Geog. u) Suidas in voce βαρβαρίζει. w) Ep. ad Coll. 3: 11. x) de

Vit.

Vit. Serm. c. 1. *y*) *Etymol.* *z*) *vid Voss. de sect. Phil. c.* 1. *& Th. Stanl. Hist. Phil. orient. l.* 1. *proœmium.*

§. V.

Siquidem verò præcipuus noster sermo de barbaris sit, non utique prætermittere debemus, quin altius, quinam isti sint, inquiramus; &, *cum id non secundum cujusque confessionem, aut aliarum accusationem pronunciandum sit*, *a*) certis quibusdam notis feritatem ab humanitate disjungamus. In quibus describendis si ductum sequutus fuerim Joh. Gerhardi, ubi gentilismum deserto assimilatum tribus de caussis asserit & depingit, *b*) videor id meo quodam jure fecisse. Ut enim hic ponit. 1. *Sterilitatem*, bonarum nempe actionum quæ Deo placeant: sic etiam barbarismi principem notam morum & vitæ fœditatem constituo. Ubi videlicet homines ad actiones bonas, quæque rationali & sociali naturâ dignæ sint, inepti

inepti offenduntur; & lubidini potius contumacis appetitus, quam rectioribus rationis dictaminibus obsequentes, jusque in armis & robore habentes, rabiei ferarum haud multo absimilem agunt vitam. Apud quos pro candore virtutis impetus, *c*) pro pace deprædatio *d*) grassantur; nec non quæ Poëta abominatur: *e*)

- - Tristes habitus, f) obscenaq; visu
Corpora; mens duro numquam cessura labori;
Præda cibus, vitanda Ceres, fratresque necare
Ludus, & occisos pulcrum jurare parentes.

Ex barbaris vero actionibus pessimæ putantur, esus carnium humanarum, *g*) liberorum furtum, eorumque ut & conjugum stuprum, ob pretium flagitii datum, à parentibus & maritis concessum, *h*) concubitus cum matribus, *i*) & masculis, *k*) & quæ id genus alia ab Apostolo recensentur. *l*) 2.

2. *Obscuritatem* cum Gerhardo ponimus, ob defectum 1. recti rationis usus, culturæ, atque prudentiæ, unde passim apud scriptores *rudis & inconditus sensus* eis tribuitur; *m*) 2. humaniorum, quæ feritatem morum emolliant, literarum. 3. Legum rationalium. *n*) 4. Veri Dei notitiæ cum recto cultu conjunctæ: qui tamen magis fortean gentilismi notam facit. Horum in loco resident ingenii hebetudo & stoliditas; mala educatio; hominum immolatio; *o*) leges vel nullæ, vel plerumque *p*) irrationales; Deorum multorum fictio, seu potius creaturarum, Dæmonumque apud multas sub statuis & idolis adoratio.

3. Tertio loco recenset ille *ferarum societatem.* Namque vivunt quasi cum feris montani & sylvestres, nec tantum socios homines, ἕξεις θηριώδεις sequentes, habent; verum etiam spiritus impurus inter

ter eos regnat, *ἐνεργῶν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. q*) Hæ igitur ſunt illæ notæ, quibus rudem & multis modis agreſtem vivendi rationem ab humaniori libuit dicernere. Quanta ſit enim, & quam latè patens hæc feritas barbarorum, qui ritus portentoſi, quæ legum ac dominorum tyrannis, referre exactè, juſti voluminis opus eſſet. *r*) Hoc ſolum adjiciam, non vitia hæc à me conjunctim omnia ad barbariem conſtituendam accipi, nec prout in quibusdam ſingulariter deprehenduntur, ſed quatenus apud aliquam gentem communia ſunt. Verbo: barbaries est, ubicumque *licentia s*) contra præcepta divina, menti impreſſa, ob defectum aut intellectus, aut legum & diſciplinarum, invaluit; atque ſunt alii aliis barbariores, ſive craſſiores & ſtupidiores.

a) *Zentgr. de J. G or. Art.* 3. §. 26.
b) *Poſtil. Salom.* am *VI.* Sont. nach *Trin.*

Trin. ſuper dict. Cant. 8: 5. *c) Florus lib.* 3. *c.* 3. *v.* 5. *d) Curt. lib.* 4. *cap.* 6. *&c. e) Claudianus in Ruf. l.* 1. *f) Curt. lib.* 8. *c.* 4. *g) Julius Cæſ. de bell. Gall. lib.* 7. *p.m.* 155. *&c. h) Curt. lib.* 5. *c.* 1. *& Hybner de Georgianis. i) exempla vid. Zentgr. Art.* 1. §. 15. *de J. G. k) Barclai. Icon anim. c.* 9. *de Turcis. l) Rom.* 1. *m) Curt. lib.* 7, 8. *l* 8, 2. *l.* 7. *c.* 4. *n) Saluſtius Jugurt. bell. c.* 18. *o) Curt. lib. VI. c* 3. *& Jul. Cæſ. lib.* 6. *p. m.* 107. *p) Thom. Explan. in Ar.* 1. *Pol.* 1. *l.* 1. *q) Eph.* 2, 2. *r) Coſt. de proc. Ind. ſ.* 2, 3. *s) Curt. lib.* 8, 3.

§. VI.

Tales hodie eſſe Africanos & Aſiaticos, & quotquot Muhametiſmi, flagitioſi ac venenoſi generis, ſunt, multis probare, non aliud est, quam noctuas Athenas mittere. Americæ etiam minimam partem cultum animorum paſſam, reliquorum vero animos nudâ & humano generi pudendâ barbarie efferatos, neque legibus, neque industria

industriâ temperatos audimus. Hinc ergo ut abeamus, orbis nostri Europæi & Christiani mores inspicientibus, haud supervacua disputatio erit de Moscovitarum, aliorumque à Christo nomen trahentium ruditate & ferociâ. De ecclesiâ enim Græcanicâ hoc fatendum, quod si non eam nomen, tamen impietas & stoliditas procul a nobis discreverit. Quod vel ex Georgianis constat, de quibus talia profert Hybner: so *t*) haben sie doch schlechte tugenden/ daß die kinder gemeiniglich vom Vater zum stehlen/ und von der Mutter zum huren gehalten werden. Ferunt *u*) etiam Russos gentem esse servituti natam, in Castigandis furtis remissam, literarum adeo rudem, ut pauci inter illos vulgatissimas preces calleant, quibus numen propitient; flaminesque unum caput ex sac. Bibliis, vel expositione ecclesiasticâ eorum, ægre recitare queant

ant, librosque Latinos & Græcos numquam fermè viderint. Imo habetur teſtimonium cujusdam *ἀυτόπτε w*) (ſed ante ſeculum & paulo ultra) qui præter alia fatetur ſe in mediâ illâ barbarie Ruſſiæ orientalioris hærentem audiviſſe; incolas quidem confeſſos S. S. Trinitatem, verum diebus dominicis puras ſolummodo fabulas, plerumque de S. Nicolao, Deo illorum tutelari, populo fuiſſe prælectas, evangelii lectionem nunquam. Dæmonem meridianum coli & metui; qui, cum maturæ reſecentur fruges, habitu viduæ lugentis ruri obambulet, operariisque uni vel pluribus, niſi protinus viſo ſpectro in terram proni concidant, brachia frangat & crura. Multos quoque alere ſerpentes, ſibi in domibus familiares. Homicidam, niſi *ἐπαυτοφώρῳ* ſit deprehenſus, quinque florenis vitam redimere poſſe: homini autem, qui alterius canem ceciderit, mulctam

 10 flo-

10 florenorum irrogari. O leges irrationales! irrationalia animantia ratione præditis præferentes! Etjamsi vero talis & tanta barbaries Russis, vicinis nostris non satis fidis, objiciuntur: tamen non sustineo tantæ & perversitatis & stoliditatis gentem illam hoc tempore insimulare, siquidem novissimi Moscorum Principes, cultioribus artibus aliunde ad se accersitis ac liberaliter cultis, sensim ruditatis sese vinculis exsolvere, jamque vecordiæ jugulum ferire cœperunt. Judæos, gentem vagam, avidam, servilem, superstitiosam, fœdam, moribus habituque incultam, hic omitto. Atque in hanc contemplationem plura me adducere non sinit temporis ratio; sed nec illud plane præterire, Hungarorum, Illyriorum, Dalmatarum, istiusque tractus plurium gentium mores pro dominorum solere ingenio disponi.

t) Quæst.

t) Quæst. Geogr. cap. 16. *qu.* 40. *u) Puf. introd. ad hist. cap.* 11. §. 5. *Barcl. Icon. an. cap.* 8. *w) Epist. Anon. ad D. Chytræum.*

§. VII.

Quid mortales eo usque feritatis protruserit, investiganti mihi, non aliæ sese offerunt certiores caussæ, quam quæ ex sacris historiis primò colliguntur. Unde 1. cacodæmonis, de insigni suo honore deturbati, & tenebrosa in tartara missi, summi Numinis æque ac humani generis adversarii, odium inexstingvibile, insidiæ & stratagemata innotescunt. Sicut enim ille in id abinitio incumbit, ut vera Dei notitiâ eradicatâ, divinoque cultu in se translato, transfugis denique quam plurimis à civitate Dei factis, regnum suum stabiliatur, infernalium tormentorum consortibus delectetur: ita omnis barbariei & idololatriæ fons est & origo. 2. Mentis humanæ intellectus in veri co-

gnitione per lapſum miſerrime obſcuratus; & deſiderium boni cœleſtis exſtinctum deprehenditur; quorum in locum ſuccedente adfectatâ hominis malitiâ, & ardore boni terreſtris & adulterini, omnem moverunt lapidem mortales, ut ejus potirentur, cujus maxime flagrarent amore. Quamvis enim reliquiæ quædam concreatæ perfectionis, & ſemina boni naturalia hominibus ſupereſſent: tamen præjudiciis occupati, ſenſibus corrupti, rerumque ſenſibilium immoderato irretiti amore, dictamina luminis recti neglexerunt; adeo ut magis magisque tenebris involuti, atque deinde negligentiores in ſeria DEI virtutumque contemplatione facti, non potuerint non immane quantum errare, & ad mille impietatis ſyrtes impingere. Quo aptare poſſum illud Gregorii: *ex quo ſemel luxuria mentem alicujus occupaverit, vix eum bona cogitare permittit;*

mittit : ſunt enim deſideria viſcoſa ; quia ex ſuggeſtione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine deſperatio, ex deſperatione peccati defenſio, ex defenſione gloriatio, ex gloriatione damnatio. x) 3. Hiſtoria perverſi Caini & Chami etiam teſtimonii loco est, quanti errores nequiſſima flagitia conſequantur, cum non ſolum ipſi à DEO omnis bonitatis & lucis fonte averſi, & in malo obdurati, ſed & poſteri, eorum veſtigiis incedentes, ad omnis generis nequitiam & inſcitiam componerentur. Quo ſtabilitum huc Barclai effatum adducimus: *Unius ſæpe error ceteris lubricum fuit, quo laberentur, viciſſimque de unius rectâ ſententiâ mutuam ſapientiam multi ſumebant. y)* 4. Egregia denique ſcripturæ loca huc faciunt, non quidem prætereunda, ſed in noſtro foro non explicanda;

quibus

quibus juſtiſſimus Deus pariter ac
clementiſſimus dicitur, *ὅτι παρέδω-
κεν ἀυτὲς ἐις πάθη ἀτιμίας*, z) *ἔιασε
πάντα τὰ ἔθνη πορέυεσθαι ταῖς ὁδοῖς ἀυ-
τῶν.* a) 5. Ultimo, quem neglectus
Theologiæ naturalis monſtroſum
fœtum enixus est, multum aſtutiâ
imperantium creviſſe conſtat. Quip-
pe qui probe gnari, animos civium
imperio difficiles nulla re alia effi-
cacius, quam divinæ alicujus au-
ctoritatis terrore incuſſo, regi &
in obſequio teneri, ſub ſpecie zeli
cujusdam religionis veræ, varias i-
dolomanias, ſuperſtitiones & falſos
ritus introduxerunt. Et quoniam
homines ſenſibus corruptos, nec
divinam ubique præſentiam perci-
pientes noverant: Deos plures at-
que corporeos, quo melius rebus
curandis ſufficere crederentur,
finxerunt, cœleſtesque honores à
vero Deo in res naturales, quarum
opibus aperte juvabantur, *b*) trans-
ferendo, figmentis maxime nefan-
dis

dis religionem adulterarunt. De Diis autem innumeris & diversis Paganismi generibus legantur ii, qui ex professo ea collegerunt. c) quanquam secundum Hesiodum d):

Τῶν ὄνομ' ἀργαλέον πάντων βροτὸν ἄνδρα ἐνίπτειν.

x) vid. Lang. Floril. de Luxuria y) Icon.an.c.2. z) Rom. 1. a) Act. 14, 16. b) Jul. Cæsar. lib. 6. de Bell. Gall. c) Rossæus von der gantzen welt *Religion. d) de Geneal. Deorum v. 369.*

§. VIII.

Hic quantuscumque omnium error sit, adeo tamen suus unicuique factus est adsuetudine familiaris, ut nulli quidquam rectum putent, *nisi quod ipsorum moribus conveniat.* e) *& sua Religio cuique optima, ut quæ plerumque non ratione sed affectu dijudicetur.* f) Quem ita describit Plutarchus in Them. *ὦ ξένε, νόμος διαφέρουσιν ἀνθρώπων, ἄλλα δὲ ἄλλοις καλά· καλὸν δὲ πᾶσι τὰ οἰκεῖα σώζειν καὶ κοσμεῖν.* g) Sic Carthaginensibus

ſibus erat rectum & laudabile, Saturno hoſtias humanas immolare; Græcis & Romanis ſecus. Lacedæmoniis pueris furari, modo laterent, nec deprehenderentur in furto manifeſto, honeſtum; ceteris Græcis & Romanis turpiſſimum. *h*) Hinc ergo accidit, ut una quæque ferme gens alios omnes peregrinos præ ſe barbaros, quaſi ab humanitate & virtute alienos reputaverit. Quemadmodum ut olim Græci, ita dein Romani, omnes extra limites regni ſui, (Græcis exceptis) appellarunt barbaros: à quibus tamen ipſi viciſſim audierunt tales. Ægyptii item omnes, qui alia, quam ipſi, utebantur lingva, barbaros vocarunt. *i*) Paulus Jovius & alii quidam Itali omnes alios præ ſe populos pro barbaris habitos varia ambitione comtemſerunt. Machiavellus Florent. Germanos barbaros vocavit, Italos vero, Gallos, & Hiſpanos multo ſceleratiores. *k*)

Recte

Recte igitur Anacharsis objicienti, Scythas esse barbaros, respondit: Scythas quidem in Græciâ pro barbaris haberi, at vicissim apud Scythas Græcos barbaros esse *l*). Hæc falsa uniuscujusque opinio maximum recipiendæ veræ religioni impedimentum est. Ut enim sua sibi honesta, peregrina verò turpia; ita fastu partim & aliorum populorum inhumano contemtu, ab aliarum gentium familiari commercio adeò abstinent, ut amice licet provocati, difficilem sui aliis faciant copiam. quod de Indis testatur Kircherus, fuisse videlicet tales, usque dum clariora Christanorum ingenia sensim experti sunt. *m*) Et partim rectores civitatum, ne cives sui ex alienis aliquid vitiosi contagii contrahant, ab eorum consociatione & familiaritate illos revocant: quidam ut Lycurgus Spartanorum legislator, non relinquunt illis liberum peregrinari & vagari, quippe

quippe ξενικὰ ἤθη συνάγουσι μιμήματα βίων ἀπαιδεύτων, καὶ πολιτευμάτων διαφοράν. *n*) Quidam advenas nullâ de causa utili in urbem irrepentes abigunt, μὴ διδάσκαλοι κακοῦ τινὸς ὑπάρξωσιν. *o*)

e) *Corn. præf.* *f*) *Grot. lib. 2. c. 20. 41.* *g*) *Lambini not. in præf. Corn. N.* *h*) *ibidem.* *i*) *Theat. prud. eleg. J. Frid. Reinhardi ex justi Lipsii libris pol. erectum L. V. c. IV. §. 17.* *k*) *Enenkel in Thucid. l. 1. de bell. Pelnp. N. 3. ad voces: nec Barbarorum.* *l*) *ibid. conf. Laërt. lib. 1. c. 9.* *m*) *Sina illustrata p. 116. 118.* *n*) *Plutarch. t. 1. opp. Lyc. f. 56. a.* *o*] *ibid.*

§. IX.

Licet verò lumen mortalium, sibi relictum, jam non sufficiat voluntati Dei declarandæ, aut cultui ejus legitimo prodendo; nam *sicut opificis potentiam & peritiam ostendunt opera ejus, imaginem autem minime; sic opera Dei &c. p*): tamen homo, si modo uti vellet istius beneficio,

neficio, h. e. ſcintillulis in mente, relictis, admoto quaſi folle ſufflandis & excitandis, nec non ratiociniis de origine hominum, creatione & conſervatione mundi; poſſet non tantum cognoſcere unum Deum eſſe, omnium creatorem, gubernatorem, eundemque ut ſuperiorem, ex quo omniá dependeant, eſſe honorandum, amandum, colendum; omnia in ejus laudem facienda, atque id genus alia honeſta, juſta & decora: verum etiam ad illam notitiam, licet confuſam, & post hanc vitam obtinendo fini inſufficientem, pertingeret, quæ est de prœmiis vel pœnis animæ post mortem, prout ſcil. in corpore ſe geſſerit; imo cognoſceret ſe non pravitati obnoxium, ſed in majori, quam quidem nunc ſit, perfectionis gradu primo creatum fuiſſe, ſua vero ipſius culpa (licet modum neſciat) morbum lethalem, ut in Deum ſit rebellis, contraxiſſe; ideoque

que

que ex obligatione quadam & pro ſalute ſua eſſe ſtudendum, quibus modis ad ejusdem cognitionem redeat. Adeoque etſi divinam revelationem initio ignoraret, tamen quæſitæ iſtius, vel ſibi annunciatæ *κριτήρια*, tam interna, quam externa volvendo & revolvendo, non poſſet non adſpiranti numini jamque adjuvanti etiam reduniri. Verum, ſi crudum ulcus adaperiam, quam ſors mortalium miſera & deploranda est! Amorem, cultum, & obſequium creatori debitum transferunt ad res creatas, pro Summo Bono nihil præter fluxa & fragilia, quæ in ſenſus incurrunt, meditantur, & eligunt; nihil minus, quam Deo dignas cogitationes & opiniones fovent:

Et quibus *os ſublime dedit, cœlumque tueri.*
Juſſit & erectos ad ſidera tollere vultus; q)
Hi *proni*, ut *ſpectant animalia cetera terram.*

Verum

Verum enim vero, notiones interea ad quamcumque religionem constituendam communes, *r*) Deum esse, omnisque juris violati vindicem, ut rerum aliarum moderatorem, non obliteratæ, sed apud omnes gentes, quantumvis maxime feras, robustæ & permanentes sunt. Hinc igitur in omni terrarum orbis angulo firmum fidei omnis & jurisjurandi fundamentum viget; omnium legum principium & fulcrum. Si qui enim dementia hominum portenta sint, existentiam numinis negantia, de quibus superiori semestri ad hoc Athenæum disputatum est, *s*) latent tamen illa adhuc, imo latebunt, sub ferali suo antro privato, monstra rationalium, & in sensum certè reprobum à Deo data; nec in tantum invalescunt, quin verum sit Æliani de barbarorum religione caput, cujus hæc summa est,: *μηδεὶς αὐτῶν ἐις ἀθεότητα ἐξέπεσε, μήδε ἀμφιβάλλουσι*

περὶ

περὶ θεῶν, ἆρά γέ ἐισιν, ἢ ὄυκ ἐισιν· καὶ ἆρά γε ἡμῶν φροντίζουσιν, ἢ ὄυ. *t*). Hisce igitur ita constitutis & investigatis, haud difficile erit, lites, propter mores & religionem inter gentes exortas, dirimere, seu componere.

p) *Baco de Verulam. Augm. Scient. lib. 3. c. 2. q*) *vid. Metam.* 1. 2. *r*) *Grot. de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 20. §. 46. *s*) Ἀθεομάστιξ. *Morini. t*) *lib.* 2. *c.* 31. *var. hist.*

Cap. III.

De causis belli adversus Barbaros.

§. I. *Agitur de causis justificis & suasoriis.*

§. II. *Proponitur quæstio: an ob servile ingenium juste subigantur barbari?*

§. III. *Et*

§. IV. *Ad illam negative respondetur.*

§. V. *Quæritur: an ob delicta in jus naturæ à moratioribus rectè puniantur?*

§. VI. *Itidem negatur.*

§. VII. *Gentium circa hæc officium humanitatis describitur.*

§. VIII.

§. I.

ORdine sic perductus ad causas belli in barbaros hoc levi penicillo adumbrandas, in memoriam vocor discriminis Polybiani haud incommodi, & à Grotio, summo Viro, in de causis belli injustis adhibiti

biti

biti, quo aliæ dicuntur *justificæ*, aliæ *suasoriæ*; προφάσεις ab αἰτίαις distinguuntur. *u*) Sicuti enim de justitia, & lege hominibus a Deo posita contra violentiam, cecinit Hesiodus, *Vir perelegantis ingenii & mollissima dulcedine carminum memorabilis. x*)

Ἰχθύσι μὲν ϰ̀ θηρσὶ ϰ̀ οἰωνοῖς πετεεινοῖς
Ἔσθειν ἀλλήλες, ἐπεὶ ȣ̓ δίκη ἐςὶν ἐπ' αὐτοῖς.
Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίςη
Γίνεται. *y*)

Quod non tantum omnium mentibus infixum, verum etiam consensu usque eo ubique probatum est, ut nemo in id sine famæ vel *existimationis* suæ h. e. *summæ voluptatis z*] ac vitâ ferme carioris detrimento delinquere queat. Ita, quibus quoque voluptati sævitia, quibus finitimas, sibi nullo modo molestas, bello conterendi ratio sola imperii cupiditas est, non solum bella, quæ justitiâ

justitiâ vacant, ineunt, verum etiam injuste inita juris peplo defendere callidissime satagunt. Quod profecto non male aliquis in bellis etiam sacris animadverterit; quippe quæ cum vario juris titulo & prætextu auctores suscepisse leguntur: sunt tamen pleraque, uti de talibus loquitur Vellejus, *bella non causis inita, sed prout eorum merces fuit. a) Nam nunc vix bellum est ullum, quod non religionis causa dicatur geri b) Suum quisque bellum sacrum prædicat, hostes quisque suos impios dictitat, suam quisque causam sanctam nominat; in ore omnium sanctum piumque versatur: consilio, conatu, animo secus agitur. c)* Ego vero τὴν διάνοιαν bellantium in medio relinquens, eas solummodo causas, quæ non tantum ex dominio, quod sibi quidam falso vindicaverunt, sed ex tribus causarũ bellandi generibus, *defensione, recuperatione & punitione d)* vel juris speciem habere videntur, vel quibus-

dam ita visæ sunt, expendere aggredior.

u) Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 1. §. 1. & cap. 22. §. 1. inspice notas etiam auctoris. x) vid. elogium hoc apud Vell. Pat. lib. 1. c. 7. y) Hesiod. opera & dies v. 275. &c. z) Puf. de J. N. & Gent. lib. 3. c. 2. §. 7. a) L. 2. c. 3, 3. b) Dom. Sotus de Just. & Jure lib. 5. Quæst. 3. de dominio art. 5. c) Theat. prud. eleg. Joh. Frid. Reinh. in Lips. lib. V. c. IV. §. 18. d) Grot. lib. 2. c. 1. §. 2. de J. B. & Pacis.

§. II.

Inter has mihi primò ea Philosophorum controversia decidenda occurrit, qua disputari solet, æquumne an iniquum sit, barbaros armis subigere, quasi naturaliter servos, & dignos qui serviant? idque vel quia antiquissima est, vel quia prima juris naturalis, inter homines gentesque intercedentis, præceptà directè tangit. Scilicet id primum ob prius ostensam

æqua-

æqualitatem resultat præceptum: *ut ne quis, cui peculiare jus non est quæsitum, plus sibi quam reliquis arroget, sed alios æquo secum jure frui permittat. e)* Eorum autem sententia, qui hoc bellum ut justum defendunt, his argumentis suffulta est. 1. Quod æquum sit, ut discrimen ingenii differentia juris consequatur, ac hebetiores & ad se regendos inepti prudentioris alicujus imperio subjecti vivant; adeoque barbaros ob intellectus imperfectionem justo dominio haud aliter ac dementes & infantes carere; & ipso opere à naturâ moratioribus imperium datum esse, atque sic consequenter jus illos invitos etiam ad serviendum adigendi competere. 2. Quod naturæ congruens sit, & utriusque partis saluti atque commodo melius consulatur, si in perspicaciores regimine collato, ceteris obsequio injuncto, illi & sibimet ipsis & his regendis prospiciant, hi vero corpo-

ris vigore ac robore utilia jussa exsequantur. f)

e) *Puf. lib. 3. c. 2. §. 4.* f) *Arist. Pol. lib. 1. c. 1.*

§. III.

Ad primum quod attinet, refutavit id tanquam absurdissimum illustris Vir Pufendorfius, g) ostendendo servitutem hanc adversâ fronte cum naturali æqualitate pugnare, nec aliquem Regem ac ducem statim esse, qui imperio sit dignus, & exercitui regendo aptus; sed naturam in eo velut sollertiam ostentasse suam, quod mortalibus non eadem mensurâ bona sua admensa sit, ne alter alterius ope non indigendo minus exerceret socialitatem; atque ut inter istam varietatem justa sibi harmonia constaret, æqualitatem istam naturalem, effecisse. Siquidem enim sapientissimus creator idemque summus rector nobis eandem animam instillavit ex eadem stirpe & materiâ nos produxit

duxit, ut eodem modo naſcamur, nutriamur, adoleſcamus, decedamus, nec non fortunæ ludibrio æque omnes obnoxii ſimus; utique ad colendam ſocialem vitam omnes æqualiter ſtrinxiſſe; eandemque omnibus libertatem decreviſſe præſumitur. Ad eundem certè modum ac in republicâ princeps terrenus nobiliori vel ditiori civi nihil licentiæ & juris in ceteros ſtatuit, quin eadem iſte, quæ ipſe exſpectat officia, erga alios exerceat; & ruſticorum aſtutiori vel laborioſiori nihil quidquam in reliquos propter deteriorem conditionem & fortunam tenuiorem, quin communi jure illi etiam ex æquo gaudeant, conceditur: Sic etiam homines æquali jure ſub divino imperio gaudentes, & quæ, ut tantò melius illud ſartum tectumque ſervaretur, introductæ ſunt civitates, haut quaquam eo valent, ut illorum alte alterum, harumve una alteram

 ſtolidiorem

ſtolidiorem licet, iſto rerum domi-nio & proprietatibus poſſit privare, quæ ſemel unicuique per diviſio-nem vel occupationem, jam con-ſenſu diu firmatæ, contigerunt. Verum hæc poteſtas ſolius DEI est, regis regum & domini dominanti-um; quam in ullum hominem transtuliſſe aut unquam jus & im-perium in omnes & omnia conceſ-ſiſſe nec legitur, nec intelligitnr. Si illa enim differentia juris ex natu-râ eſſet, aut â præſcripto divino dependeret, utique eſſet aliquo mo-do manifeſtata, vel prona conſe-quentia ex principiis innatis erue-retur, ut plerorumque ſaltem con-ſenſum adipiſceretur. Jam vero ni-hil tam naturæ hominum adverſa-tur, nec quidquam eruditi tantum non omnes tam acriter impugnant, quam ſervitutem iſtam naturalem. *Nemo est tam ſtupido ingenio, quin ar-bitretur rectius aut commodius ſuo ſe in-genio vivere, quam ſi ad alterius arbi-*

trium

trium se componat. i) Quibus ultimo verba Francisci Victoriæ adjiciuntur: *Barbari secundum rei veritatem non sunt amentes, sed habent pro suo modo usum rationis, quia habent ordinem aliquem in suis rebus, matrimonia distincta, magistratus, dominos, leges, opificia, religionis speciem &c. quæ omnia requirunt usum rationis. Imo si usum rationis non haberent, ad quærendum necessaria ad salutem, essent sine culpa in peccato. k*)

h) *Puf. de J. N. & G. lib.* 3. *c.* 2. §. 8. *i*) *ibid. k*) *relect. V. sect.* 1. §. 23.

§. IV.

Ad alterum illud sufficiens esse potest responsio pronunciatum egregium Grotii: *Non enim, si quid alicui est utile, id statim mihi licet ei per vim imponere. l*) Fateor quidem naturam quorundam ita comparatam esse, uti Plutarchus refert Agesilaum dixisse: Τὲς τὴν Ἀσίαν κατοικȣ̃ντας, ἐλευθέρȣς μὲν κακὲς ἐίναι, δȣ́λȣς δὲ ἀγαθȣ̀ς; *m*) et *Barclajus de Moscis:*

Moscis: Servituti gens nata, ad omne libertatis vestigium ferox est, placida si prematur. n) Est autem illa servitus talis, quam gentes suo sub rege serviant. Et ut nullam usque eò barbaram gentem inveniri crediderim, *o)* quin aliquis ex illa tantis animi dotibus gaudeat, ut ceteris imperare queat; ita nullam tam abjectis esse animis, quæ non ad ultimum usque antiquum patrium servare statum & domestico regi imperio, quam aliis subjecta esse malit. *Ergo si vel maxime singuli gentis alicujus servitutem ament personalem, naturali tamen libertate omnes, quà integrum generis humani cœtum & populum constituunt, exuere propterea non licet, cum eandem sub suo rege, qui sui juris est, servire queant servitutem. p)* Commoda vero, quæ exinde provenirent, quod moratior gens sibi barbariorem subjiceret, plurimis suis scaterent incommoditatibus. Nam etsi semper verum est hoc tritum proverbium: *Omnis*

Omnis commoditas sua fert incommoda secum
Nulla incommoditas commoditate caret:
Illa tamen ſalus, qui tali bello hebetioribus, & officium vel utilitas, quæ prudentioribus acquireretur, tanta fortè conſtaret ſangvinis ex utraque parte, tantâque bonorum profuſione, ut minimâ quidem ex parte damna iſta exæquaret bonum quæſitum; & poſtea, ut navis ad eam magnitudinem pervenire poteſt, quæ regi nequeat, ſic & tantus hominum numerus &, locorum diſtantia unum regimen non ferrent; ideoque ex emolumento ad hoc jus imperii nulla valet conſequentia. Ex aptitudine autem naturali hoc reſtat ut concludamus, quod ſi imperium ſit conſtituendum, magis naturæ congruere, ut in eos, qui ingenii felicitate polleant, ſummi vis imperii conferatur; his vero, qui obtuſiores ſunt, obſequii gloria relinquatur: atque tum

tum quoque propter usum rationis, qui tardioribus penitus denegari nequit, liberam esse debere electionem, &, quamdiu nullum uni in alterum jus est quæsitum, spontaneum in subjectionem consensum.

l) de Jur. B. & P. lib. 2. *c.* 22. §. 12. *m) tom* 2.*opp. Apoph. f.* 190. *vide Zentg. de J. Gent. Art.* 3. §. 7. *n) Icon anim. c.* 8. *o) vid. exemp. apud Zentgrav. cit. loco. p) ibid.*

§. V.

Hanc alia quædam, de barbarorum delictis in jus naturæ, acrior insequitur Politicorum disputatio; quâ inter illos minus convenit de puniendi potestate, quam, ceu effectum legis naturalis, alii regibus competere affirmant, alii negant. Inter illos sunt præter alios etiam Hugo Grotius, Vir omnium calculo πολιτικώτατος, & illustris Baco de Verulamio: Inter hos celeb. Pufendorfius, Zentgravius, Franciscus a victoria, Josephus â Costa,

Covar-

Covarruvias, Vasquius & alii. Affirmantium argumenta optime cognoſci poſſunt ex eodem illo Grotio, ubi ita ſcribit: *q*) Sciendum „quoque eſt; reges, & qui par regibus jus obtinent, jus habere pœnas „poſcendi, non tantum ob injurias in „ſe aut ſubditos ſuos commiſſas, ſed „& ob eas, quæ ipſos peculiariter „non tangunt, ſed in quibusvis perſonis jus naturæ & Gentium immaniter violantibus. Nam libertas „humanæ ſocietati per pœnas conſulendi, quæ initio, ut diximus, „penes ſingulos fuerat, civitatibus „ac judiciis inſtitutis, penes ſummas poteſtates reſedit; non proprie qua aliis imperant, ſed qua „nemini parent. Imo tanto honeſtius eſt alienas injurias quam ſuas „vindicare, quanto in ſuis magis „metuendum eſt, ne quis doloris „ſui ſenſu aut modum excedat, aut „certè animum inficiat. Hanc ſententiam confirmat Herculis & Theſei

sei elogiis, passim apud scriptores collectis; quod *ille* alienas terras transierit non concupiscendo, sed vindicando & injustos puniendo; eoque pacto maximorum bonorum auctor hominibus factus, inque se susceptâ communi humani generis curâ inter Deos referri meruerit: *hic* vero latrones & quidquid monstri ac sceleris ubique fuit, virtute animi & robore dextræ sustulerit vel comminuerit. Adeoque cum Isocrate concludit: Justissimum esse bellum in beluas, proximum in homines beluis similes. Et addit, quod, si talis puniendi potestas non ex jure naturæ regibus concessa esset, sed tantum ex jurisdictione civili in suos, tum non hostis in hostem puniendi jus haberet, etiam post bellum susceptum ex causa non punitiva; quod tamen jus plerique concedant, & usus omnium gentium confirmet.

q) *De Jur. Belli & Pac. lib.* 2. *c.* 20. §. 40.

§. VI.

Hæc quantacunque ſunt, ex altera tamen parte eò liberius pugnare ſuſtineo, quò uberius modo laudati viri hæc dudum tela exceperunt, atque hebetarunt. Poſitum enim est, delicta illa, propter quæ in arenam ceteri deſcendere non reſant, nullo modo nos, ſed eos tantùm, qui extra noſtram civilem ſocietatem degant, tangere. Qualia ſunt ſacrificia hominum, eſus carnium humanarum, impietas in parentes, & id genus aliæ vel in ſuos vel vicinos injuriæ. Tales enim peccatores non in alios, quam quos directè lædunt, injurii, nec in univerſum genus hominum hoſtiles dici poſſunt. Primo igitur regerendum, naturam quidem ſeſe defendendi poteſtatem, & injuriarum illatarum vindictam ſumendi, jus vero damna in quosvis illata ulciſcendi non magis conceſſiſſe, quam eminentiam homines inter introduxiſſe.

duxisse. Pœnam enim imponere, non est alicujus æqualis, sed superioris. Et quamvis vir sæpè laudatus contendit libertatem istam penes summas potestates resedisse, *non propriè qua aliis imperant, sed qua nemini parent*: tamen hæc adeo hoc loco conjuncta observantur, ut separatim vix intelligi queant. Nec aliter illud *aliis imperare & nemini parere* concipi potest, quam cum jure primò & per se puniendi suos, & ab aliis reparationem dati damni, atque cautionem de non lædendo in posterum per modum belli exigere. Nam alias, cum in omni provincia multi sint peccatores, & graviora hæc sint peccata Christianis, qui plenius ea de re edocti sunt quam reliquis: quotidie regna mutari possent. *quam ob rem ubi in alium, cujus defensio mihi non est commissa, peccatum fuit, non magis illius ultionem extra causam fœderis mihi arrogare possum, quam jus dicere iis, qui mihi*

mihi non sunt subjecti r) Deinde nec obstat, si quis secundum illud Democriti : φύσει τὸ ἄρχειν οἰκήϊον τῷ κρείσσονι, ex grotio objiceret, maleficum se quovis alio inferiorem fecisse, & quasi ex hominum cœtu detrusisse in bestiarum censum, quæ homini subjacent. Nam in eligendo est quidem hoc convenientius, quod Democritus innuit; ast alias meliori sufficit ea, quæ oportuit, fecisse, & laudem ac præmia meruisse; ac pejori, justissimum DEum habere ultorem; cui soli legislatori ut inobediens fuit, ita eidem soli det pœnas, æquo similius censetur. Qui summus rector sicuti hunc non regem alterius constituit, (quod non ab hoc dictatis legibus dirigitur alter) ita nec judicem vel pœnæ exactorem. Nec probabilior mihi habetur hæc conclusio: hic delinquit, e. moratiori subjicitur veluti brutum; quam illa: hic deliquit, ergo non habet animam vel naturam

naturam humanam. Ut enim delicta illa non pervertunt iſtius ſubſtantiam, ita nec ejus dignationem, ut inter bruta ſit referendus. Barbari itaque hujusmodi bello impetiti haud ineptius Ægyptio illo objicere poſſunt: *quis te conſtituit principem & judicem ſuper nos. s*) Poſtremo quoque, videndum an ipſe animum, domum, remp. ex virtute regat, alioqui barbaris nequior. Erudiendi enim hi potius & monendi ſunt, quam debellandi. Cur enim tibi ſerviant, cur jus vitæ & necis in eos habeas, quia callidior es? *t*) Hoc idem tenendum est de iis, qui neque magiſtratus neque leges habent, vel incertis ſedibus & legibus vagantur, modo injurii non ſint. Concludo igitur: quæ barbari peccant, non cujusvis est animadvertere; &, ſi ligna ſilveſtria, uti est in biblicâ illâ parabolâ, *u*) rhamnum ſibi, prætermiſſâ olivâ, ficu & vite, Regem creant: non

non mirum est, si illius incendio concrementur. *x*)

r) *lib.* 8. *c.* 3. 7. *Puf. de J. N. & G.*
s) *Exod.* 2. *v.* 14. *t*) *Adam. Contz.* 10. 8. 4. *u*) *Jud.* 9. *x*) *Costa* 2. 5. *de procur and. Ind. Sal.*

§. VII.

Quemadmodum igitur natura cœtuum socialis non rectorium sed æquatoriũ jus introduxit, ne moratiores ob barbariem, sibi innoxiam, ceteros bello impetant; ita ob cognationis affectum unusquisque ea, quæ gloriæ DEI & utilitati aliorum contrariantur, corrigendo & admonendo avertere studebit, atque intercedere debet eo modo, quo tale humanitatis officium describit Isocrates: *δίκαιον τȣ̀ς ἐπ᾽ εὐνοίᾳ νȣθετȣ̃ντας μὴ μόνον κατηγορεῖν τῶν πεπραγμένων, ἀλλὰ ϗ̀ συμβȣλεύειν, ποίων ἀπεχόμενοι, ϗ̀ τίνων ὀρεγόμενοι, παυσαίμεθ᾽ ἂν ταύτην ἔχοντες τὴν γνώμην, ϗ̀ τοιαῦτα ἐξαμαρτάνοντες*, *y*) Idque eodem jure, quo olim ecclesiæ par-

 ticulari

ticulari ejusque doctori licuit alienæ diœceseos ecclesiam ejusque doctores, cum ob doctrinæ errores, tum ob morum vitia corripere. Si quoque gens aliqua in auxilium â læsis vocata iis succurrat, eosdem in tutelam suscipiat, & hostes eorum auxilia submittendo persequatur, prosternat, & damna ulciscatur, ob pietatis & dilectionis affectum, homini, nudo alias & fragili, datum, atque exinde promanans alios tuendi & fovendi studium: Id omnino justum existimo. Quod præter alios Cicero eleganter innuit: *Secundum naturam est, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut juvandis maximos labores molestiasque suscipere. & præterea communem totius generis hominum conciliationem & consociationem colere, tueri, servare debemus.* z) Id denique etiam addam, quod, si genti moratiori cum immaniori bellare contigerit, illa victrix jure quodam belli merito hanc
victam

victam ad turpes mores exuendos & dediſcendos cogere poſſit; ſecundum illud; *Jus eſſe belli, ut, qui viciſſent, iis, quos viciſſent, quemadmodum vellent, imperarent. a)* & Alexandri apud Curtium: *Leges a victoribus dici, accipi a victis. b)* Qui idem ob id paſſim laudatur, quod Sogdianos mactationem parentum, eorumque carnium eſum dedocuerit. Ut & Gelo, qui Carthaginenſes coëgerit inter conditiones pacis hanc quoque adſcribere, ipſos in poſterum Saturno liberos nunquam immolaturos eſſe. *c)*

y) Orat. de pac. z) Off. lib. 1. *c.* 41. *a) Jul. Cæſ. de bell. Gall. lib.* 1. *c.* 36. *b) lib.* 4. *c.* 5. *c) vid. Zentgr. pag.* 156. *de orig. J. G. Grot.* 2. 20. §. 47.

§. VIII

Hinc ut ad religionem perducamur, inſpiciendum nobis est, annon bello ideo ſint adoriendi barbari, quod conſociationis humanæ vinculum vel ſuperſtitione vel irreligioſi-

ligiositate solvere videantur. De religione enim id fateri necessum habemus, quod, per se licet ad conciliandam Dei gratiam valeat, habeat tamen & suos in societate humana effectus maximos. *d*) quum cultus Deo debitus, fides, spes & charitas non tam adoratione religiosa, quam caritate erga alios homines, qua morem voluntati ejus gerimus, probetur & demonstretur. Quinimo credere Deum esse, eumque venerari, eam ob causam maximum omnis societatis vinculum, legum fundamentum & fulcrum est; quia stimulante hominum malitia & propria utilitate, proclivis & facilis est a dictaminibus rationis discessus, nisi supponatur ille eorum conditor, vindexque transgressionum, probitatis vero remunerator æquissimus. Hinc factum videmus, ut in omni republicâ prima fuerit religionis consultatio, prima magistratus cura, &
sub-

ſublatâ illâ, fidem & ſocietatem tolli, nihilque niſi inane nomen juſtitiæ relinqui, perturbationem vitæ ſequi & magnam confuſionem, cum Cicerone *e*) omnes conſenſerint. Jam vero, ut rurſus H: Grotius confitetur, *majorem habet uſum religio in majori illa, quam civili ſocietate; quia in civili partem ejus ſupplent leges civiles & facilis legum exſecutio: cum contra in magna illa communitate juris exſecutio ſit difficillima, ut quæ niſi armis expleri nequeat, & leges pauciſſimæ: quæ ipſæ inſuper ſanctimoniam ſuam habent præcipuè a metu numinis. Unde qui in jus gentium peccant, jus divinum violare paſſim dicuntur. f*) Unde concluditur, quod, ſive contaminata, ſive nulla est religio, tamen in diverſa gentes abripit ſtudia, & atrociſſima gignit bella; atq; ſic ſocietati diverſitatem religionis repugnare, & ad omnium pertinere injuriam dicunt.

d) *Grot. cit. ſæp. lib. & cap.* §. 44.

e) *De natura Deorum lib.* 1. *cap.* 2. *&c.*
f) *cit. loc.*

§. IX.

Huic itaque quæſtioni ut ſatisfaciam, primo quæ ſuperſtitionem attingunt, explicanda ſunt. ubi ad id, quod antea dictum est, reſpiciendum; ſcilicet unicuique ſuum de Deo ſenſum, quantumvis erroneum, rectum & optimum videri, & ob iſtam perſuaſionem nihilominus fidei, pactorum ac jurisjurandi ſatis validum eſſe fundamentum; id enim exinde etiam probatur, quod ipſe Deus pejerata numina falſa non minus quam ſe ipſum vindicat. Quod cũ ita ſit, etſi multa mala hominibus impiæ ac diverſæ religiones afferũt, bella etiam non raro & diſſentiones; illam tamen diverſitatem non juſtam cauſam belli puto. Nam ſi ob eam nihilominus humanæ ſocietatis vincula ſarta tecta maneant, non rei judicari poſſunt communis juris læſi, qui ſuperſtitioni variæ addicti

addicti ſunt, ſed læſæ majeſtatis divinæ; nec in illud, ſed in hanc, quidquid injuriæ est, tendit. Sive igitur genios, ſive defunctorum, qui beneficiis in humanum genus excelluerunt, animas, ſive aſtrorum aliarumve rerum naturalium virtutes, quorum opibus aperte juvantur *g*) colunt, cum revelatione divina careant, nec ſummi Dei cultum deſerant, ſed illum cultum, qui a majoribus traditus est, rectiſſimum ducant: excuſabiles certe ſunt coram hominibus, & à Deo ſolo, cujus hîc *κρίματα* prorſus *ἀνεξερεύνητα, ϗ ὁδοὶ ἀνεξιχνίαστοι*, puniendi. Hisce autem uſum & effectum religionis non inficias eo, quin major gentes inter exſtaret amicitia, ſi idem de Deo Rectore noſtro ſummo ſentirent omnes; ideoque maxime optandum: *Ἵνα θεὸς τῆς ὑπομονῆς ϗ τῆς παρακλήσεως δώη ἡμῖν τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν. Ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζω-*

μεν

μεν τὸν Θεὸν κ̀ πατέρα τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃. *h*) Sed id ſolum innuere volui, quod poſſint gentes diverſæ confeſſionis æque ac ejusdem unà ſociales agere, ſi modo pacem & fidem non avaritia vel ambitio faſtusve quorundam disruperit, & hanc bello cauſam prætenderit. Cujus reï fons ex inſita malitia contumaciaque promanat, dum tanto plus honoris putant ſuis quisque ritibus accedere, quo magis alienos proculcârint. Idcirco, non quod impietas idololatriæ ſummâ pœnâ non digna ſit; ſed, ut alii per ſe nec obest nec prodest alterius religio, ita *religionis jus hominibus cum hominibus proprie non est, ſed inter Deum & hominem; nec bellum inferendum est cauſa religionis. i*)

g) *Jul. Cæſ. de Bello Gall. lib.* 6. *de Diis Germanorum. h*) *Rom.* 15. 5. & 6. *i*) *Frid. Reinhard. Theatr. prudent. eleg. lib.* 5. *c.* 4. §. 17.

§. X.

§. X.

Qui vero in multis optime mihi consentiens fuit Grotius, eam, quæ jam insequitur, difficiliorem enodatu fecit controversiam: cum statuit eos justius puniri, *qui in eos, quos Deos putant, irreverentes atque irregiosi sunt.* Quidquid enim illis, id tanquam Deo faciant. *k*) Quales aliquando Phocenses fuisse constat: *qui cum agris, liberis, conjugibus privarentur, desperatis rebus, Philomelo quodam Duce, velut Deo irascentes templum ipsum Apollinis Delphis occupavere; inde auro & pecunia div ites, conducto mercenario milite, bellum Trojanis intulerunt. l*) Ad hujus positionis affirmationem adducit ille testimonium Hieronymi ad Dan. 6. de vasis, quæ, ex templo Hierosolymitano abducta, *quamdiu in idolio Babylonis fuerunt, non est iratus Deus* (*videbantur enim rem Dei, secundum pravam quidem opinionem, tamen divino cultui consecrasse*) *postquam autem*

hominis

hominis usibus divina contaminantur, statim pœna sequitur post sacrilegium. Nec non Augustini: *qui existimaverit auctum a Deo imperium Romanorum, quod cordi illis fuisset quamvis falsa religio; & quod summum hominis officium, etsi non re ipsa, tamen proposito tenerent*, ut ex Lactantio additur. Eodem etiam modo rectè puniri eos, *qui falso sibi vatum nomen induant*, affirmat. *m)* Quibus & illos annumerat, *n) qui aut cacodæmonas, quos tales esse norunt, aut vitiorum nomina, aut homines, quorum vita fuit flagitiis plena, divinis honoribus colere instituant.* nec non eos, *qui Deos colant hominum innocentum sangvine: à quo more quod Carthaginenses abstinere coëgerint*, laudantur *Darius Persarum Rex & Gelo Syracusarum Tyrannus.*

k) Cit. Aut. lib. & cap. §. 51. *l) Justinus* 8. *c.* 1. *m) in annotatis ad prior. locum. n)* §. 47.

§. XI.

Ad hanc autem quæstionem, ut

mentem

mentem meam, hoc circa negotium aliquanto vacillantem, & ductoribus pæne destitutam aperiam, aliud profecto nihil respondebo, quam quod antea attigi, & mihi semper fixum manet: pœnam istam eo modo sumendam, mutuo rerumpubl. nexui repugnare: nec non Dei injurias ipsimet curæ; & impio satis esse, eum, cujus juridictionis sit, habere ultorem. Atque quoniam ad rectum judicium duo requiruntur, nempe & justa causa in crimine & legitima facultas in judice: prior quidem apud eos est, posterior autem in solo Deo. Ex hoc enim, quod ipse totius orbis Dominus, quæcunque voluerit, ultus sit aliquando crimina, arguere, quod nos id ipsum in omnibus infidelibus possimus; perinde est ac si arguas, quod, cum rex possit in toto suo regno universos maleficos exstirpare, possit pariter unusquilibet magnatum, qui sub illo jurisdictio-

nem habent, territorium alterius ingredi ad id exercendum munus. *o*) Deinde multum ambigo, an ulla usquam gens detur tam fera ac impia, quæque adeò irreverens in Deum ſuum exſtet: licet Phocenſes extremo non ſolum neceſſitatis, ſed & deſperationis caſu eo atrociæ proceſſerint: quamobrem factum eorum non tantum ipſis, propter ſacrilegium, exſecrationis aliarum gentium; quantum invidiæ Thebanis, à quibus ad hanc neceſſitatem impulſi fuerant, attulit: quare etiam auxilia illis contra Thebanos miſerunt Lacedæmonii & Athenienſes, teſtante Juſtino. Si qua vero daretur, eſſet certè ſignum vel cognitæ ſtultitiæ ſuæ & detecti circa religionem erroris, vel denique divinæ traditionis in pejorem ſenſum; ideoque ſufficiens pœna foret ſua ipſorum miſeranda ſors vel conſcientia. Ad Vates quod attinet; ut non perfecti alicujus cœtus, ita non

non hujus considerationis sunt. Ceteros autem, puta dæmonum cultores, & innocentium hominum sacrificatores, atque ejus generis plures, quia non ex voluntate, secundum quam de bonitate & malitia morali in foro humano judicandum, sed ex ignorantia quadam, & judicio de rebus perperã formato agunt; ut firmiora & prius adducta argumenta, quæ huc etiam maximè spectant, hic subticeam; bello plane liberandos puto. Postremo forsitan neque id prætereundum, quod de hominum victimis habet Tertullianus. p) *Sed enim Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victimâ placari apud seculum licuit, & Latio ad hodiernum Jovi media in urbe humanus sangvis ingustatur; nec quisquam retractat, aut non rationem præsumit aliquam, aut inæstimabilem Dei sui voluntatem. si noster quoque Deus propriæ hostiæ nomine martyria sibi*

ſibi depoſtulaſſet, quis illi exprobraſſet funeſtam religionem & lugubres ritus & aram, rogum & pollinctorem ſacerdotem, & non beatum amplius reputaſſet, quem Deus comediſſet.

o) Sotus lib. 5. *Quæſt.* 3. *Art.* 5. *p) in Scorpiace p.* 624. *N.* 7.

§. XII.

Disputari etiam ſolet de Barbaris, & quidem paulò fuſiùs, annon ideo poſſint a Chriſtianis bello impeti, quia ſunt infideles, ſeu quod idem eſt, annon infideles res ſuas injuſte poſſideant, in quantum eas à Chriſtiana Eccleſia amittere juſſi ſunt, & conſequenter, anne illis bona poſſint per violentiam auferri? Ubi non quæſtio est de iis, qui jure & facto ſubſunt Chriſtianorum jurisdictioni, & in provinciis eorum habitant, vel imperium eorum, provinciis ſuis occupatis, admiſerunt. Hi enim arbitrio Chriſtianorũ Principũ ſuas res poſſident, niſi limitatũ imperium fuerit, atque ideo tanquam

quam imperium & leges recuſantes iis privari & bello impeti poſſunt, non præciſe quia infideles ſunt, & Chriſtianam fidem ſuſcipere nolunt, ſed quia reipublicæ æque ac eccleſiæ conſervatio ita requirit; vel ſaltem poſſunt Reges Chriſtiani edicto jubere, ut infideles vel Chriſtianorum provincias dimittant & ab eis diſcedant, vel Chriſtianam fidem ſuſcipiant. Verum hic quæritur de jure eccleſiæ in gentiles exteros, qui neque facto ſubditi, neque illi ſunt infeſti. Fuerunt, & quidem plurimi, qui tale jus tribuerent Papæ Romano, tanquam temporali monarchæ totius orbis, à quo omnium principum ſecularium poteſtas derivata ſit, ſivè, eo interveniente, à Deo. Quod ſi vero Papa non exerceat jurisdictionem in temporalibus, ut ajunt, extra patrimonium eccleſiæ, non eſſe id propter defectum auctoritatis, ſed ob vitandum ſcandalum & nutriendam pacem. Argumentorum vis hisce

hisce continetur : quod 1. Papa sit vicarius Christi in terris, cui omnis potestas data in cœlo & in terra. 2. quod dati sint illi duo gladii h. e. potestas & spiritualis & temporalis. Sic etiam Imperatorem Romanum totius orbis Dominum statuerunt, utpote cui alterum gladium Pontifex ille tradiderit; illud confirmantes cum necessitate & utilitate reipublicæ Christianæ, tum similitudine apum, quorum unus est princeps, & gruum, quarum unam sequuntur ceteræ. Ut hic nihil ex eorũ sententia proferam, qui exemplum sumunt de Cæsare Augusto, & argumenta petunt ex dictis Luc. 2. & Luc. 20. Horum refutationem, cui volupe fuerit, videat apud Franciscum a Victoria, q) Dominicum Sotum. r] Covarruviã s) & alios; ego enim ne in his multus sim, ipsa facit evidentia rei.

q) Relect. V. Sect. 2. r) de Just. & Jur. lib. 4. Qv. 4. Art. 1. & 2. s) de peccato. Rel. par. 2, §. 10.

§. XIII.

§. XIII.

Eas solummodo afferam ratio-
es, ob quas præcipuas apparebit,
ıfideles dominio suo non carere,
el fidelibus jure aut facto, neque
ua proprietatem rerum, neque
ua jurisdictionem subjectos esse.
. Infidelitas non privat infideles i-
tis prærogativis, quas habent jure
entium, *& quæ non fidelibus tantum,*
ed & omni rationabili creaturæ com-
etunt. t) Quod exemplis Nabucho-
lonosoris aliorumque patet, qui-
ous, licet infidelibus, Deus regnum
x fortitudinem & gloriam dedit. *u)*
uò pertinet etiam illud Christi: *ὁ*
πατὴρ ὁ ἐν οὐρανοῖς τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνα-
τέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς, καὶ βρέ-
χει ἐπὶ δικαίους, καὶ ἀδίκους. x) 2. Est ini-
quum, si vel non justa fiant, vel,
quæ justa sunt, non juste fiant, se-
cundum illud: *juste, quod justum est,*
exsequeris. Imperium autem in il-
los, nullo Dei jure præceptum, ex-
ercere iniquum plane est. De jure
F enim

enim naturali manifestum est ad legem verò positivam quod a tinet, neque quicquam hujus g neris in veteri fœdere continetur neque Christus usquam in novo d dominiis aliud disposuit, præter illud: ἀπόδοτε τοίνυν τὰ καισαρος, κα σαρι. y) Quo ipso magis firmatur Cæsaris imperium, quamvis ethni cus esset, quam in minutum fuit 3. Aperte negavit Christus regnum suum esse de hoc mundo; & Apo stolus: τί γάρ μοι τὰς ἔξω κρίνειν; τὰ δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει. z) 4. Exinde pro bari potest, Deum non tale jus & imperium concessisse, quod illu foret maximum impedimentum su scipiendæ veræ religionis; quemad modum jam factum scimus in Japo nia, cujus incolæ, simul ac de po testate Papæ audiverunt, omne Christianos, ceu infestissimos hoste odisse, & à terminis suis excluder cœperunt. 5. Si tantum licenti reipublicæ in rempublicam tribua mus, nihil aliud agimus, quam u

brev

revi universum terrarum orbem erturbemus, & discordiis ac cædius impleamus. 6. Israelitæ ob som idolomaniam, seu gentibus, qua alibus, nunquam bellum intulerunt; quod exemplum quia pleniori explicatione eget, hîc differo. 7. Illud denique adjungi meretur, quo titulos falsos claudit Franciscus a victoria: scilicet *dato, quod Dominus perditionem barbarorum facere constituisset, non tamen ideo consequitur, quod ille, qui eos perderet, esset sine culpa: sicut nec sine culpa erant reges Babyloniæ, qui filios Israël ducebant in captivitatem; nec Jerobeam recte avertit populum Israël a Roboam, quamvis hoc factum fuisset* permissu & *consilio DEI.*

t) *Balthaz. Ayala de officiis bell. l.* 1. c. 2. §. 28. u) *Dan.* 2. x) *Matth.* 5, 45. y) *Luc.* 20, 25. z) 1. *Cor.* 5, 12. & 13.

§. XIV.

Manet adhuc quæstio, an ideo, quia doctrinam Christi sibi prædicatam

catam repudiant, debellandi sint barbari, ut devicti illam recipiant. Nimirum existimant nonnulli, illos teneri sub mortalis culpæ reatu, qui fidem sibi annunciatam, magnisque argumentis propositam non suscipiunt ac profitentur, adeo ut irreverentiæ & injuriæ peccatum in Deum comittant, illam detrectantes; principes vero Christianos, qui ministri Dei sint, & vindices eorum, qui mala patrant, posse contra eos jure belli agere. Deinde cogi posse barbaros, ut obediant principibus suis; ergo multo magis, ut obediant Christo, cujus causa non quidem pejoris conditionis sit, quam hominum. Præterea blasphemantes Christum, & rebus Christianis in ignominiam abutentes rectè debellari, ut absistant ab illis blasphemiis; eodem plane modo, ac si injuriam faciant Regi Christiano, etjam defuncto: multo autem magis, si Christo, qui est Rex vivus Christianorum.

ſtianorum. Jam vero majus peccatum eſſe infidelitatem, quam blasphemiam; eſſe videlicet abnegationem, & contemtum fidei noſtræ, a) & radicem vitæ turpioris omniumque peccatorum. Laudat denique Gregorius bella, quæ Gennadius geſſerat adverſus infideles, dilatandæ reipublicæ cauſa, quatenus Chriſti nomen per ſubditas gentes fidei prædicatione circumquaque diſcurreret. b).

a) *Franc. Vict. rel.* 5. *Sect.* 2. *N.* 67.
b) *Covarruvias Regul. peccat. relect. par.* 2. §. 10. *N.* 1.

§. XV.

Hic autem titulus redigendi barbaros ad ſubjectionem, tantundem valet ac titulus *infidelitatis*, de quo modo egimus. Naturâ enim eorum ita comparatum est, ut primo annunciatu credere nequeant, cum ignorent qui & quales ſint, qui iſtam religionem ſibi proponunt, & falſam tantisper præferant. Idcirco,

co, etsi oportebat eos per rationis lumen, quæ ad Creatoris sui cognitionem & suam ipsorum salutem adipiscendam faciant, omni nisu inquirere, exaudire & animo revolvere: tamen id negligentes coram hominibus neque injuriæ incusari, neque ab eis puniri debent, maxime cum Deus, cujus majestati injuria infertur, dicat; *ipse retribuam.* Unde Franciscus a victoria: *Si Saraceni eodem modo proponerent barbaris sectam suam simpliciter, sicut Christiani, non teuerentur eis credere, ut certũ est: ergo nec Christianis sine aliquo motivo & suasione propollentibus, quia non tenentur, nec possunt divinare, utra sit major.* Cum vero huic rationi permoventi obicem ponunt, sequendum est Christi monitum, qui Apostolos suos ita emisit: Καὶ ὃς ἐὰν *μὴ δέξηται ὑμᾶς μηδὲ ἀκούσῃ τοὺς λόγους ὑμῶν· ἐξερχόμενοι τῆς οἰκίας ἢ τῆς πόλεως ἐκείνης, ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν ὑμῶν.* c) Bellum enim quod

quod nihil aliud quam licentia nocendi adverſariæ parti reputatur, nullum est argumentum pro veritate fidei Chriſtianæ, quo poſſint moveri ad credendum, ſed odii & timoris plenum, quæ requiſitis recipiendæ religionis maxime contrariantur. Scilicet religio eſt intellectus & voluntatis negotium, atque inſigne donum Dei, ita ut argumentis doceri debeat, nec niſi Dei gratia propagari, ac ſolius verbi divini virtute perſuaderi poſſit. Hinc recte ſcripſit Joſephus à Coſta citando Gregorium: *Qui fidem aſperitatibus propagare volunt, ſuas magis, quam DEI cauſas probantur attendere. Tota enim iſta res vergit in obſtinatam quandam invidiam & odium fidei, & certam perniciem hominum. d)* Et Tertulianus: *videte enim, ne & hoc ad irreligioſitatis elogium concurrat adimere libertatem religionis, & interdicere optionem divinitatis, ut non mihi liceat colere, quem velim, ſed cogar colere,*

quem nolim. Nemo ſe ab invito coli vo-let, ne quidem homo. e) Divinus etjam Præceptor emiſſis in medium luporum, increpans ſeveritatem nonnullorum ex apoſtolis, quamlibet ita lenitatem eis commendavit: οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς. ὁ καὶ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀνθρώπων ἀπολέσαι, ἀλλα σῶσαι. *f)* Non est ergo quod quis objiciat, ſatius eſſe per vim ſalvos facere, quam per indulgentiam perire permittere. Ad quod præterea reſpondet pulchre Auguſtinus: *Illis blandiendum est ut credant, in vobis putredo hæc reſecanda est. Non tollo idola illorum, quia non habeo in illos poteſtatem. g)* Hinc imperatores Chriſtiani laudantur, quod in bellis quoque ex cauſis juſtis non vim religionis ergô propagandæ intulerint conſcientiis victorum. quorum tamen præclara exempla, perinde ac alia nonnulla, quæ huc egregiè facerent, ſciens præterire cogor.

c) Matth.

c) Matth. 10. 14. *Luc.* 4. 5. *d) Apologet. n.* 24. *p.* 26. *e) Luc.* 9.55. *f) Joseph. a Costa lib.* 2. *de procuranda Ind. Sal. c.* 4. *g) citante eodem cap.* 2.

§. XVI.

Ex iis, quæ jam dicta sunt, facile cognosci potest, quid de ceteris causis sit tenendum ; si quæratur, an propter spem conceptam ex aliqua divinorum vaticiniorum explicatione, vel an propter metum, aut propter curam Regum generalem, ad humanitatem & religionem bellis barbari sint adigendi. Ad hæc enim illa etiam valet responsio, quod sine expresso DEI præcepto, aut illatâ injuriâ, juste id ipsum fieri non queat. Et quod ad oracula implenda attinet, latent nos rerum tempora, *cum DEus, quæ prædixit, sæpe per improbos homines, aut pravas actiones ad exitum ire permittat k).* Bellorum autem exitus quia incertus est, ac tumultibus illorum non solum profana quæque, sed & spiritualis

ſpiritualis reipublicæ ſalus, & ſacra omnia, fideſque ipſa periclitantur: *l*) conſultius fortaſſis foret, ſi, quiſquis ſtat, provideret, ne caderet, hoc eſt, ſi innocentibus parceret, atque non vocatus quiete & pacate ageret. Nec est, quod aliter de metu ſentiamus, niſi certa evidensque ſit, & juſtitiæ ſufficiens, animi eorum hoſtilis æquè ac potentiæ ratio. Modi enim cavendi recti judicioque gentium approbati eſſe debent, non à vi, ſed ab innoxia cautione repetendi, adeo ut qui ex ſolo metu belli argumenta ſumunt, ex ſua libidine jus fingere recte dicantur *m*). Aliud autem est, *ſi gentem aliquam Chriſtiano nomini infeſtam eſſe conſtat, & ad illud delendum ſemper intentam; quidni enim tunc liceat, cognito hoſtili animo, bello eam aggredi, & victoria ita uti, ut abolitis paganiis Chriſtiana religio introducatur? n*) De cura Regum, quam generalem pro ſocietate humana illis incumbere Grotius opinatur,

opinatur, nihil ſuperest, ut addam, cum ex ſuperioribus, quæ mens noſtra ſit, facile intelligatur.

k) *Grot. lib. 2. c. 22. §. penult.* *l*) *Dom Sotus.* *m*) *Reinh. Theatr. Prud. Eleg. lib. V. c. 4. §. 19.* *n*) *Bœclerus Vitekind. p. 5.*

§. XVII.

Hic etiam, quia de peccantibus in religionem ſermo est, poſſit forteàn aliquis à me expoſtulare, ut, quid de hæreticis habendum ſit, ediſſeram. Verum, quum ea non proprie ſit hujus loci tractatio, & tamen ex his, quæ nunc breviter disputata ſunt, quid hoc in negotio ſtatuere æquum ſit, colligi utcunque poſſit: ne aut multus in ea re, aut prorſus negligens fuiſſe videar, id ſolummodo monebo, quod hæc eadem, quæ de barbaris dicta ſunt, pro hæreticis disputari ac defendi poſſint, contra Covarruviam & alios. Illius enim verba ſunt: *Tametſi eccleſia valeat punire eos, & bello perſequi, qui ſemel Chriſtianam religionem*

ligionem professi, ab ea discesserunt o). Ubi tamen probè attendenda est distinctio eorum, quatenus sunt vel turbulenti vel erronei. Ego enim tantum loquor de hæreticis, quà talibus; non seditiosis, aut extremè blasphemis. Nam si bellandi jus in hæreticos contenderetur; utique vindicarent id sibi gentes hæreticæ quæque, & tanto acriora exsisterent bella, imo tantò alacriori spe sua quæque damna levaret; quantò veriores de rebus divinis suas jactaret atque crederet esse sententias. & quo nihil deterius, esset nobis persæpe conquerendum atque ingeminandum illud:

Sæpe scelus cœli zelus velamine texit;
Relligio velum est, quod tegit omne scelus.

Est quoque hic non prætereundum exemplum Imperatoris Constantinopolitani, qui, cum vellet capitali supplicio animadvertere in hæreticos Paulicianos & Attinganos, qui auguriis,

auguriis, arcanis cerimoniis, oraculis superstitiosis atque immolationibus utebantur, ab aulicis fuit prohibitus, quippe qui potius correctioni & pœnitentiæ locum concedendum dicerent *p*).

o) *cit. loc. num.* 2. *p*) *Kromaj. Hist. Eccl. Cent.* 9.

§. XVIII.

Ut igitur tam nefaria tamque impia religio nulla est, quæ jubeat in homines diversæ religionis latrocinium exercere; ita impuri & facinorosi hominis est, per simulationem contemtæ aut violatæ religionis alterius bona prædari: & *religio nec ut prætextus, nec ut instrumentum crudelitatis inservire q*); sed jus tantummodò læsum pro justa belli causa prætendi debet. Seu quod idem est, justo bello ex iis tantum causis, cum infidelibus, ex quibus cum aliis quibuscunque contenditur. Nec est, quod quis excipiat, bellum ex utraque parte belligerantium

rantium justum esse posse; cum hostes, qui contrarii sunt, contrarias omnino causas habeant; ut, si opinione, non tamen veritate bellum utrinq; esse possit justum *r*). Quod si ergo non pacatè vivant barbari, sed moratiores offendant, eosque aut latrociniis, aut alio aliquo modo persequantur; non dubium est, quin armis immanitas vindicanda sit,
Armaq; in armatos sumere jura sinant.
Atque eo modo non solum propriam rempublicam, sed & socios, & fidei etiam consortes, defendere ob caritatem Christianam convenit. adhæc quibuscumque injustè oppressis, opem nostram petentibus, ut opitulemur, commune naturæ vinculum efflagitat. Sic ex quo Juris Naturalis præcepto pacem dixi colendam cum barbaris, ex eodem quoque justam eorum, quæ à barbaris injuste ablata sunt, quamdiu jus in ea reservatur, recuperationem

perationem derivari evidens est: quæ, si per clarigationem nequeat, necesse est armis obtineatur. Adeò nullum discrimen est inter Christianum & infidelem, quà bello adoriendos, quia neutrum eorum sine illatâ injuriâ bello aggredi fas est. Quinimo, quominus quisquam contra ferocem & iniquum Christianum cum infideli, si sic necessitas suæ defensionis urgeat, & prudenter fiat, arma jungere queat, neutiquam sacrorum cum isto communio impedit *s*). Hisce igitur jam positis, utantur reges duobus illis nominibus, pace & bello, ad id, quod justum est; non, tanquam nummis, ad id solum, quod aut expedit, aut oblectat.

q) J. Frid. Reinh. Th. Prud. El. lib. 4. *c.* 3. §. 3. *not.* 2. *r) Balth. Ayala lib.* 1. *c.* 2. §. 35. *s) vid. Zentgr. de orig. J. G. Art. IV.* §. 17.

Hæc momenta sunt, quæ de armorum justitia adversus barbaros,

ros, Tuo, Candide Lector, examin pro more Academico nunc submit tere sustineo. Quod si divina fa vente gratiâ fieri possit: ea, qu adhuc desiderantur, nimirum de bellis sacris, accessura spero. Hi autem defectum ingenii mei & eru ditionis, quia ingenuè fateor, & sub misse oro, favor tuus supplebit.

Omnipotens rerum Moderator & In duperator,
Divite qui nobis dextrâ bona cuncta ministras,
Da bene nôsse, fiet Tua quæ divina voluntas!
Barbariei tenebras per cunctas discute terras;
Omnibus ut fidei splendescant lumina veræ!
Fac seri maneant in relligione nepotes
Salvificâ, qualem præstant nunc mœnia nostra!
Sint Tua cura Pater Patriæ, rerumque Potentes;
Ut quærant semper, quæ sint regionis & urbis
Commoda,